



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

De Episcopis Salisbvr gensibvs. Avctore S. Eberhardi Archiep.
Salisburgensis discipulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

DE
EPISCOPIS SALISBURGENSIBVS.

AUCTORE

*S. Eberhardi Archiep. Salisburgensis
discipulo.*

VBI

Præter aliorum Archiepiscoporum Salisburgensium
gesta aliaq; scitu digna

Continentur


Vita & mi- racula	}	<i>S. Ruperti ex progenie Regum Francorum, Apostoli Bauaria,</i>	} Episcoporum Salisburgensium.
		<i>S. Virgilij Apostoli Karinthia,</i>	
		<i>S. Eberhardi Norici, Bibur- gensis Abbatis,</i>	
		<i>S. Hartvvici,</i>	
		<i>S. Gebehardi Sueni, Legati Apostolica Sedis.</i>	

Omnia nunc primum in lucem edita è manuscri-
pto codice & notis illustrata

Ab

*Henrico Canisio Nouiomago IC. & SS. Canonum Pro-
fessore ordinario in Academia
Ingolstadiensi.*

DE



De

EPISCOPI SALISBURGENSIBVS

et

De vita & miraculis

S. RUPERTI,

Ex

PROGENIE REGVM FRANCORVM,

Bauaria Apostoli.

S. Rupertus
Bauaria Apo-
stoli.

TEMPORE igitur HILDIBERTI regis Francorum, anno scilicet regni eius secundo, honorabilis Confessor Christi RVDBERTVS in VVORMACIA ciuitate Episcopus habebatur; qui ex Regali progenie Francorum ortus, Catholicae fidei & Evangelicae doctrinae totius bonitatis nobilissimus refulsit Doctor. Erat enim vir simplex, pius, iustus in iudicio, prouidus in consilio, prudens, in sermone verax, strenuus in actu, conspicuus in charitate, in vniuersa morum honestate praecclarus. Ita innumerabiles ad eius sanctissimam conuenerunt doctrinam, & ab eo aeternae salutis documenta susceperunt. Cumque fama sanctae, conuersationis eius, longe lateque crebresceret, peruenit ad notitiam cuiusdam Ducis BAVARIAE regionis, nomine THEODO, qui supra dictum DEIENIXIS precibus, pro ut posuit, libentissime rogare studuit permissos suos, ut NORICAM prouin-

provinciam visitando sacra illuminaret doctrina. Vnde Prædicator veritatis diuino compunctus amore, assensum præbuit: primo suos dirigens legatos; postea vero ad Christi gregem lucrandum, per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio, obuiamq; illi cum suis pergens, sanctum virum, Euangelicumq; doctorem cum omni honore, & dignitate suscepit in RATISPONA ciuitate. Quem vir domni cepit de Christiana conuersatione ammonere, & fide Catholica imbuere; ipsum non multo post, & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem conuertit, sacroq; baptisinate regenerauit, & in sancta corroborauit religione. Præfatus itaq; Dux sancto viro concessit licentiam, locum aptum eligendi sibi & suis, vbi-
 cunq; ei placeret in hac prouincia ad Episcopij sedem, & Ecclesias Dei cõstruere, & cætera ad Ecclesiasticum habitaculũ perficere. Tũc supradictus vir domini accepta licentia per aluẽ DANUBII vsq; ad fines PANNONIÆ inferioris spargẽdo semina vite, nauigando iter arripuit. Sicq; tandẽ reuertens ad LAVREACENSEM peruenit ciuitatem, multosque infirmos varijs languoribus oppressos, orando per virtutem domini sanauit, & veræ fidei plures inibi sociauit. Deinde arrepto itinere, peruenit ad quendam lacum qui vocatur VALARIUM, vbi exit VISCHANA de eodem lacu, ibique Ecclesiam in honore sancti PETRI principis Apostolorum construxit & dedicauit. Hoc factõ præfatus Dux THEODO tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum, & primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis possessiones ei tribuit. Postea verò ad notitiam venit sancto Pontifici RYDBERTO esse locum iuxta fluium VVARVM, antiquo vocabulo IVVAVENSEM vocatum, vbi antiquis temporibus, multa fuerunt mirabiliter con-
 I I structa,

structa ædificia, & cuncta pæne dilapsa silisque cooperta. Hoc audiens vir Domini propriis cupiens prospicere oculis, quid inde ipsius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum diuina disponente gratia, cœpit **THEODONEM** rogare Ducem, ut istius potestatis locum tribueret, ad expurganda loca & Ecclesiasticum, pro vt eil libitum foret, ordinaret officium, & Episcopij ibi sedem statueret. Quod ipse Dux cōsensit, tribuens in lōgitudine & latitudine de territorio super lengas possessiones, vt inde faceret, quid ei placeret, ad vtilitatē istius sanctæ Ecclesiæ. Tunc vir Domini ista cœpit renouare loca, primo Deo formosam ædificans Ecclesiam. Quā in honore sancti **PETRI** principis Apostolorum dedicauit, ac demum claustra cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit. Postea verò delegato sacerdotali officio omnem ibidem quotidie cursum congruo ordine fecit celebrari. Tunc prædictus doctor **RVDBERTVS** cupiens aliquos ad ipsi socios ad doctrinam Euangelicæ veritatis, propriam repetiuit patriam, iterumq; cum duodecim reuertens discipulis, secumq; virginem Christi, nomine **ÆRNDRVDEM** adducens, quam in superiori castro **IVVA VENSIVM** statuēs, ibidemq; colligens congregationem sanctimonialium, & earum conuersationem rationabiliter, sicut deposcit ordo canonicus, per omnia disposuit. Ipse quoq; assidue rotum istius circuiens solum patriæ, confirmans animas Christianorum admonensq; in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimpleuit mirificis. Vbi cōstructis consecratisq; Ecclesiis, ordinatisq; inferioribus & superioribus gradibus, proprium sibi ordinauit successorem. Ipse verò præsciens longè ante diem vocationis suæ, confirmatis discipulis, ad propriam remeavit sedem astantibus, ammonitione diuina peracta, fratribus, inter
verba

verba orationis reddidit spiritū in pace, die videlicet Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Ad cuius sepulchrum exuberant innumera beneficiorum beneficia curationū cunctis fideliter petentibus vsq; in hodiernū diem, Per eum, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorū, Amen.



GITUR post discessum beatissimi RUPERTI pontificis, vir clarus omni populo, egregiusque doctor & seminator verbi Dei VITALIS Episcopus sedem IUVAVENSEM regendam suscepit. Post cuius transitum ANZOGOLVS extitit abbas. Post cuius depositionem prædictæ sedi adhesit SAVOLVS abbas. Cuius vitæ finito cursu EZIVS abbas successit. Quo migrante de sæculo, iterato illa sedes honorata refulsit Episcopo FLOBARGISO. Post quem IOANNES pastorem gessit in sede præfata curam. Eisdem igitur temporibus scilicet OTILONIS Ducis BAVARIÆ, qui tunc subiectus fuit regi primo Francorum, venit vir quidam sapiens & bonus doctor, de HIBERNIA insula, nomine VIRGILIUS ad prædictum regem in FRANCONIA loco vocato KARISIA CO. Qui propter Dei amorem retinuit eum secum ferè duobus annis: & comperito eo bene docto, misit eum præfato Duci OTILONI, ac cōcessit ei Episcopatum SALZBURGENSEM rectore vacantem. Qui dissimulata ordinatione ferme duorum annorū spacijs, habuit secum proprium Episcopum comitantem de patria nomine DOBDAGREVM ad persolvendum Episcopale officium. Postea vero populis petentibus, & Episcopis regionis illius, consensit Virgilius consecrationem accipere; ordinatusq; est à comprouincialibus præsulibus ad Episcopum, anno scilicet natiuitatis domini DCC. LXVII, sub die XVII. Kal, Iulij.

II.

*Vitalis Episcopus
Salisb. ix.*

*iii. Ep. Salisb.
Anzogolus
iv. Sauolus
v. Ezivus*

*vi. Flobargisus
vii. Ioannes*

ix. S. Virgilius

III.

Rimo igitur THEODO DUX BAIORVM Dei omnipotentis gratia instigante, & beato RVDBERTO Episcopo prædicante de paganitate ad Christianitatem cõuersus, & ab eodem Episcopo baptizatus est cum proceribus suis BAIORVM. Item THEODO Dux dedit ei potestatem circuire regionem VVABARORVM & eligere sibi locum ad Episcopij sedem, & Ecclesias construendas, & ipsos populos ad seruitium Dei erudiendos, cum adiutorio Dei, & sui ipsius supplemento. Præfatus igitur beatus RVDBERTVS multa circuiens loca peruenit tandem in pagum IUVAVENSEM iuxta lacum vocabulo VVALARSE, vbi exit FISCHAH de eodem lacu; confedit ibi & construxit Ecclesiam, eamque dedicauit in honore beati PETRI Apostolorum principis. Hoc factõ beatæ memorię THEODO dux tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum cum confinio circumiacenti, in aquis quarumque decursibus, siluis, pratis, pascuis, & molendinis, atq; piscationibus curtem & casam, cum cæteris ædificiis, seruos manentes in Colonis quatuor & alios tributatos manentes in Colonis decem.

*Translatio
Ruperti.*

IV.

OCTAVO Kal. Octobris, translatio sancti RVDBERTI Episcopi, quę facta est ab Episcopo VIRGILIO, qui fuit octauus ab illo cum quo trãstulit & duos presbyteros eius, Sanctũ CHVNIA LDVVM & GISIBARIVM, quorum festiuitas, quia nullo alio die in anno habetur, eodem die nominatim in ipsa ad quam translata Ecclesia, statutum est celebrari. Quorum translatio postea eodem die post ruinam, & reconsecrata Ecclesia mutatis altaribus à beato & sanctissimo HARTVIGO XXII. Episcopo, XII. Archiepiscopo iterata est; eorumq; corpora tũc posita sunt ad corpus sui quondã & compatriotæ sancti patris

patris RVDBERTI. Cuius translationis dies eo ipso die, id est, octauo Kal. Octobris per totum Episcopatum illud SALZBURGIS statutus est celebrari. Quæ dies officijs dedicationis Ecclesiæ, in qua corpus iacet, in tantum est occupata, ut huic celebrationi eius plene nequeat deseruire. Et dies transitus eius VI. Kal. Aprilis, die resurrectionis dominicæ propter officia quadragesimæ, vel ipsius paschæ raro sicut dignum est, contingit celebrari. Ideo postera dies, id est, 7. Kal. Octob. illi consuetudinaliter inofficiatur; atq; vacatur; sed intra urbem illam tantum. Ex qua consuetudine translationem eius quidam causæ ignari in diem eundem transcripserunt, sicut in quibusdam Martyrologiis habetur. Et etiam congruum ac religiosum est, ut quidquid alia obseruatio illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reuerentiã Quadragesimalis officij, vel paschalis obseruatiam gaudij ademit, qui auctor sedis, & Apostolus extitit religionis, hoc saltem in domo requiei suæ, illa assumpta die translationis suppleatur.



V. **V**MERVM annorum à transitu sancti Rudberti diffinite scriptum nõ reperimus, coniectura tamen horum potest fieri ex consideratione temporum, in quibus fuisse legitur. De temporibus eius legitur sic: Temporibus igitur HILDIBERTI regis FRANCORVM, Anno scilicet regni eius secundo, venerabilis Confessor Christi RVDBERTVS in VVORMACIA ciuitate Episcopus habebatur. De die obitus eius, qui in VI. Kal. April. celebratur sic legitur. Die orto resurrectionis Christi, missarum solemnia lætus persoluit, & munitus corporis & sanguinis sacramento, inter verba fratres confirmantia, tradidit spiritum, Et alibi. Sic suum contigit phale,

Supra. cap. 1.

Ii 3 sacro

sacro paschæ tempore. Inuento autem tempore regis, in-
 enire deceret tempora Episcopi. Temporibus igitur
 TIBERII CONSTANTINI, & MAVRITII Imperatorum Ro-
 manorum, HILDIBERTVS Rex Francorum, filius SIGI-
 BERTI & BRINHILDIS extitisse legitur, anno Dominicæ
 incarnationis DLXXV. TIBERTVS CONSTANTINVS re-
 gnauit anno incarnationis Dominicæ D LXXXvij. HIL-
 DIBERTVS, xxij. MAVRITIVS regnauit item anno incar-
 nationis Dominicæ D. LXXXvij, HILDIBERTVS filius SI-
 GIBERTI super Francos regnauit anno incarnationis Do-
 minicæ D. xxxij. FOGAS regnauit, qui post Mauritium
 factus est Imperator. Circa hæc tempora sanctum Rud-
 berdum vixisse patet. Requirat autem nunc qui vult, vbi
 ante annum, DC x xii ij. Dominicæ incarnationis, aut
 post eundem annum Dominicus paschæ, in 6. Kalend.
 Aprilis euenerit, vt habet nec ante nec post illum termi-
 num longius, quam humanæ vitæ mensura, idem, si quis
 hoc ante inuenerit, inuenire poterit, quot anni sunt à tran-
 situ sancti Rudberti. Si autem alieno inuento credulus es-
 se maluerit, qui semet huiuscemodi indaginis labores de-
 speret attingere, sciat, quod D Cxxij dies, anno incarna-
 tionis Dominicæ, ante supra notatum annum, & post eun-
 dem D Cxxvij dies paschæ 6. Kalend. Aprilis in quo è
 duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus obierit, non
 legi. Considerata tamen superiori temporum conscrip-
 tione, dubium non est, eum in vno eorum obiisse. Et
 quamuis certum non sit, si superuixerit, D. Cxxvij quo
 dies Dominicus paschæ. in 6. Kalend. April. venit, certum
 tamen est eum non superuixisse D Cxxv annum Do-
 minicæ incarnationis in quo similiter dies Dominicus in
 6. Kalend. Aprilis euenerat. Si autem annum incarnatio-
 nis in quo similiter dies Dominicus paschæ in 6. Kalend.
 Aprilis

Aprilis euenit, altius reperere voluerimus, vt videlicet sub primo HILDIBERTO Francorum rege CHLODOVEI seu LYDOVVICI filio, qui tēporibus IUSTINIANI magni & primi regnabat, sanctum RUDBERTVM claruisse contendamus, tūc in altero subscriptorum anno eum obiisse cōstat, siue D. xxxiiij anno Dominicæ incarnat siue D. xliij anno, in quibus ambobus dies dominicus. paschæ 6. Kal. Aprilis euenit. Ideo, quod inter duo dubia certius est eligamus, & computemus annos de trāsitu sancti Rudberti ab anno DCxxij, Dominicæ incarnat. Sunt autem à transitu eius vsque ad præsentum annum, qui est Dominicæ incarnationis annus millesimus centes. octogel. sextus, anni quingenti Lxxij. Ipse est annus xxxvj. 9. regni Friderici Imperatoris.

*Quo tempore
vixit Autor*

RX Orientali siue Australi parte iuxta publicam viam, quæ tendit in TALGOR, & sic ad *Esch* wand/ deinde ad lacum qui vocatur LABV-SCVLO, & sic ad TINILBACH, & inde ad medium lacum qui vocatur PARNSE, & sic ad SINTENPECH, & sic a TINILBACH, de ista parte lacu meridiana pleniter per omnia in FORSTE fieri deberent ad istam sedem Iuuauensem. Item de isto flumine quodam vocatur SALZAHHA, de illa petra quæ respicit contra Ecclesiam sancti Martini, quæ sita est in castro Iuuauensi, nulli liceret sine licētia huius sedis Episcopi, piscationem habere vel castores apprehendere, siue vllam exercere venationem, nisi tantum vno piscatori dominico. Item de loco qui vocatur STRATINPACH ex vtraque parte supradicti fluminis in FORSTE pleniter fieri ad istam Ecclesiam Dei sanctam, sursum vbi *Schwarzgaha* exoritur, & sic vsque ad illum locum, qui vocatur *Purch* / & ita fieri à potestatiuis viris, ad istam sedem definitum est. MADELHELMVS quidā vir nobilis cum

VI.

cum cæteris rebus suis, portionem venationis sue, ad istam Dei Ecclesiam, iuxta ripam, quæ vocatur ALBINA hanc esse communem cum cohæredibus suis. Supradictus HUDBERTVS dux dedit in pago MATAHCENSI manentes tributales iij, in loco ITINGA dicto.

In illis temporibus quoque OTILA dux ab æmulis suis, Hunis * causa, fratres duo, KARLOMANNVS & PIPINVS reges Francorum VDILONEM ducem Bavarix rebellare conantem bello superat. Fuit autem cum domino PIPINO rege in Francia multis diebus. Inde reuerso & accepto Ducatu suo, tradidit ad IUVAVENSEM sedem villam quæ vocatur Weerminhaim, & manentes seruos xx, cum territorio, & silua & molendinis cum omni appendicio suo. Dedit in heremo eiusdem loci appendente locellum, qui dicitur Eselwand / & lacus duos & APARNSE, & in his locis venationem & piscationem.

OTILO dux habuit sororem PIPINI regis, nomine Hilceruch, ex quibus natus est THASSILO dux pijsimus.

